



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. CXLI. De Sponsalibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

est, si delegatus coepit progredi in dispensatione, potestatem dispensandi non expirare; quia Regula juris est in omnibus rescriptis, & delegationibus, potestatem non cessare in delegato, ubi res non est integra, & negotium iam est coeptum. *cap. Gratum. cap. Relatum. de Offic. deleg. Sanchez de Matrimon. libr. 8. disp. 28. num. 91. & seqq.* Si vero res est integra, vel potestas, seu gratia dispensandi sic commissa est, ut delegatus teneatur veris existentibus narratis, dispensare; & neque in hoc casu expirat, quia jus est acquisitum dispensando, ut gratia ad executionem deducatur. At si gratia, seu facultas dispensandi ita esset elargita, ut penderet à voluntate delegati dispensare, vel non dispensare; si delegans moreretur re integra, non posset delegatus amplius procedere; & facultas diceretur cessare. *Sanchez. ubi supra, quem allegat Tamburin. dict. libr. 8. tract. 2. cap. 15. §. 4. ubi concludit, dispensationes matrimoniales, quæ solent juxta stylum dirigi per Datariam Ordinarii locorum, non cessare per mortem Pontificis etiam re integra; quia duo tantum casus excipiuntur in jure, videlicet, in materia beneficii, & in rescriptis justitiæ, in quibus re integra moriente delegante, delegatus non potest procedere. cap. Si cui de Præbend. in 6. dict. cap. Gratum. & cap. Relatum. De Offic. delegat. & tradit Pontius de Matrim. libr. 8. cap. 19. §. 1. n. 5.*

4. *Quer.* Quid agendum, si delegatus moriatur, antequam perficiat expeditionem Dispensationis? *Resp.* Si gratia erat realis, & commissa non personæ, sed officio, id est, Vicario Generali, poterit expediri à successore in officio: at si commissio fuisset personalis, esset petenda nova commissio; cum hac tamen observatione; quod si delegatus ante mortem complevisset actum dispensationis, sed non dedisset testimoniales litteras complementi prædicti, oratores possent in foro interno potiri dispensatione. *Spere. dict. decis. 31. tom. 1. & Tamburin. dict. libr. 8. tractat. 2. cap. 12. §. 1. numer. 6. & cap. 14. §. 5.*

CAPUT CXLI.

De Sponsalibus, & quæ requirantur ad hoc, ut obligent.

1. *Quer.* Quæ sint Sponsalia? *Resp.* Sponsalia propriè sumpta significant mutuam promissionem sponsi, & sponsæ de futuro matrimonio. Impropriè autem sumpta denotant matrimonium ratum, non consummatum. *Tamburin. dict. libr. 8. de Matrimon. tract. 3. cap. 1. §. 1.*

2. *Quer.* An omnis promissio de futuro matrimonio faciat Sponsalia? *Resp.* Negativè; sed illa tantum promissio, quæ prius ab uno sponso est alteri insinuata, ab eodem acceptata, & per ejus repromissionem confirmata. Ideò promissio solum interna, vel insinuata, sed non acceptata; vel etiam acceptata, sed non mutua repromissione corroborata, non facit sponsalia, quia hæc requirunt mutuum consensum utriusque contrahentis. *Sanchez de Matrim. libr. 1. disp. 3. 6. & 7.*

Tamburin. dict. cap. 3. §. 1. numer. 2. & 3.

3. *Quer.* Quam obligationem pariant Sponsalia? *Resp.* Contrahendi matrimonium, & quidem sub pœna peccati mortalis in foro interno; & sub pœna censurarum, & aliarum ad arbitrium Judicis in foro externo, *Tamburin. ubi supra num. 4. & seqq.*

4. *Quer.* An Judex possit cogere Sponsum retinentem ad contrahendum matrimonium juxta Sponsalia sua? *Resp.* Plura esse de hac re Doctorum sententias, quas refert *Aversa de Matrimon. quest. 8. sect. 8. Vers. Quinto dubitatur.* At omnes convenire in hoc, quod Judex debet cum magna cautela procedere circa inflectionem pœnarum, & ubi potest prævire malos exitus, debet potius abstinere à pœnis, & solas exhortationes adhibere; quia nemo invitus cogendus est ad matrimonium. *Tamburin. d. lib. 8. de Matrimon. tract. 3. cap. 1. §. 1. num. 9. 10. & 11. Menoch. conf. 21. num. 69. Gutierrez Can. 22. lib. 1. cap. 20. num. 23.*

5. *Quer.* An in causa Sponsalium Laicus sit Judex competens? *Resp.* Affirmativè, si de executione tractatur. Negativè, si de eorum validitate, vel invaliditate disputatur. *Sanchez de Matrimon. libr. 1. disp. 29. num. 9.*

6. *Quer.* An possint contrahi Sponsalia sub obligatione, ut qui promissis non stat, solvat pœnam aliquam; puta centum aureos, torquem aureum, vel quid simile? *Resp.* Negativè, quia ad servandam libertatem contrahentium matrimonia, jura irritaverunt has pœnas, formidine quarum posset quis invitus contrahere. *cap. Gemina de Sponsalib. Avers. d. quest. 8. de Matrimon. sect. 8. Vers. Et quidem, ubi docet, irrita etiam esse sponsalia contracta sub conditione pœnæ, porro Arrhæ in sponsalibus non sunt prohibita, si contrahentes excedant vigesimum quintum annum. Arrhæ autem sunt sponsalitiæ largitæ, quæ actu traduntur in sponsalibus ad securitatem matrimonii, & possunt dari Arrhæ ab uno sponso tantum cum obligatione, ut si alter recuset adimplere sponsalia, restituat eandem Arrhas, & ulterius valorem earundem, vel etiam duplum, triplum, vel quadruplum, & non ultra. l. Fin. C. de Sponsal. Ideòque differentia magna est in contrahendis sponsalibus cum Arrharum traditione, & cum obligatione sub pœna; quia illæ sunt licitæ, ista nequaquam; prout etiam neque pignus simplex. *Sanch. d. lib. 1. disp. 35. Tamb. d. cap. 1. §. 3. per tot.**

7. *Quer.* An restitutio Arrhæ cum duplo, vel triplo debeat in conscientia? *Resp.* Arrham, & ejus valorem in conscientia esse restituendam à recusante absque legitima causa adimplere matrimonium. At duplum, vel triplum valoris Arrharum non deberi ante judicis sententiam. *Tamburin. dict. §. 3. num. 7. ubi idem docet etiam de solutione pœnæ, si fortè fuisset apposta.*

8. *Quer.* An pœnam solutam à frangente fidem possit alter sponsus retinere tuta conscientia, sine judicis decreto? *Resp.* Affirmare *Sanchez de Matrimon. libr. 1. disput. 39. numer. 2. Negare Hurtadum de Matrimon. disput. 1. d. ff. 18. numer. 77. cui adhæret Tamburin. dict. §. 3. in fine, quia cum di-*

sta

pœna sit reprobata à jure, nullus adest titulus, quo transferri possit dominium illius rei in recipientem.

9. *Quar.* Quid dicendum de illis, qui contrahunt Sponsalia animo ficto, idest sine intentione se obligandi, imò cum mente, & proposito ea non exequendi? *Resp.* Tali modo contrahentes peccare mortaliter, quia decipiunt proximum in re gravi, & obnoxios esse restitutioni damnorum, si quæ altera pars patiatur ex prædicta sponsonne ficta. Aversa *quæst. 6. de Matrim. sect. 1. Vers. Quare.* Tambur. *d. tract. 3. cap. 1. §. 4. num. 2. & seqq.* ubi num. 11. subdit eum, qui promisit animo se obligandi, sed animo non exequendi, ultra peccatum, teneri ad contrahendum matrimonium; quod docet etiam Sanchez *lib. 4. disp. 9. num. 2.*

10. *Quar.* Quibus ex causis Sponsalia sint invalida? *Resp.* Si contracta sint ex errore, vel circa personam, vel circa qualitates contrahentium, prout etiam si inita sint per vim, aut metum, & non voluntarie. Tambur. alios allegans *d. lib. 8. de Matrim. tract. 3. cap. 2.*

11. *Quar.* Si pars decepta, vel vim in Sponsalibus passa, velit ea exequi, & matrimonium contrahere, an pars decipiens, vel quæ metum incussit, teneatur ad standum sponsalibus, & ad ea exequenda? *Resp.* Varias esse DD. sententias, sed negativam reputari magis probabilem, quia in contractu oneroso, ex sui natura ex utraque parte obligatorio, ad æqualitatem servandam, cum pars decepta non sit obligata contrahere, neque pars decipiens debet habere hanc obligationem. Castropal. *d. 2. de Sponsal. p. 12. num. 2.* Sanchez *disp. 15. num. 5. lib. 4. & Tambur. d. tract. 3. §. 3. n. 11. 12. & 13.*

12. *Quar.* Quænam sit differentia inter sponsalia ab initio irrita, vel nulla ob aliquam legitimam causam, & sponsalia, quæ mutuo dissensu sponforum solvuntur? *Resp.* Hanc esse differentiam, quod ea, quæ ab initio sunt invalida, non pariunt impedimentum publicæ honestatis; quæ verò dissolvuntur mutuo dissensu, sed ab initio valida erant, pariunt dictum impedimentum. Tambur. *d. tract. 3. §. 1. num. 9. & 10.* ubi notat aliam differentiam, scilicet ex sponsalibus ab initio invalidis non resultare jus ad amplexus, & oscula.

13. *Quar.* An personæ suppositæ interdictæ, nec non excommunicatione majore ligatæ validè contrahant sponsalia? *Resp.* Affirmativè circa suppositas interdictæ; Negativè verò circa ligatas majori excommunicatione, quia excommunicati nulliter agunt quodcumque negotium. Jordan. *lib. 3. tit. 7. num. 146. & 147.* quamvis matrimonium validè contrahatur etiam ab excommunicatis, etsi non absque peccato. Barbof. *de Pot. Episcop. alleg. 32. num. 203.*

14. *Quar.* An sit necessaria aliqua forma ad contrahenda sponsalia. *Resp.* Negativè, sed sufficere consensum expressum vel verbis, vel signis juxta morem Patriæ. Tambur. *disp. tract. 3. cap. 2. §. 3. ubi num. 1. notat, Doct. Clericali Tom. II. Lib. VII.*

apud Indos sponsalia fieri per hæc verba, *Se-peliam te, quando morieris.*

15. *Quar.* An matrimonium clandestinum, quod tanquam matrimonium est invalidum, inducat saltem valida sponsalia; ita ut qui contraxerunt sine Parocho, & testibus, obligentur iterum contrahere, quasi jure sponsalium obligati? *Resp.* Cum distinctione. Vel contrahentes prædicti sunt impuberes, & eorum matrimonium clandestinum, & nullum resolvitur in sponsalia, & ex sponsalibus sunt alligati. *cap. fin. de Desponsat. Impub. cap. Unico. §. Idem quoque, eodem tit. in 6.* At si contrahentes sunt puberes; non concordant Doctores in resolutione. Bossius *de Matrimon. cap. 1. §. 7.* cumulat pro se triginta quinque Auctores tenentes opinionem negativam, & dicentes matrimonium clandestinum nequaquam parere sponsalia valida, etsi interveniret in matrimonio illo Juramentum, ac etiam copula. E contra Aversa *de Matrimon. quæst. 8. sect. 3. Vers. Videtur.* allegans plurimos; ac declarationem Sac. Congregationis, tenet, ex dicto clandestino matrimonio resultare sponsalia valida; quia, inquiunt, Clandestinum non valet, eo quia à Sac. Tridentino Concilio irritum factum est, at non etiam irritavit sponsalia. Utramque opinionem nominat probabilem Tamburin. *disp. tract. 2. §. 4. num. 8. & 9.* quamvis videatur adherere negativæ ob verba Sac. Concilii Tridentini *sess. 24. cap. 1. de Matrimon.* quæ declarant contrahentes clandestinè omninò inhabiles ad contrahendum.

16. *Quar.* Quæ ætas requiratur ad contrahenda sponsalia? *Resp.* Requirit septennium; nisi ante ipsum sponsi pollerent usu rationis, nam etiam antea validè sponsalia contraherent. Pontius *de Matrimon. lib. 12. cap. 5.* Sanchez *lib. 7. disp. 104. num. 5. & 15.* Tambur. *d. tract. 3. cap. 3. §. 1. num. 3.*

17. *Quar.* An habentes inter se impedimenta dirimentia, vel non dirimentia matrimonium, possint validè sponsalia inter se inire? *Resp.* Negativè, tam si affecti sint impedimentis dirimentibus, quam non dirimentibus, quia omnia impedimenta sunt dirimentia quo ad sponsalia. Nisi fortè ea contraherent sub conditione de futuro, post scilicet obtentam dispensationem, quo casu sponsalia inciperent valere habita dispensatione. Porro antequam dispensatio obtineatur, nullius valoris dicerentur illa sponsalia; adeò ut ex eis non resultaret impedimentum publicæ honestatis, neque Jus ad amplexus, & oscula. *cap. 1. de Spons. in 6.* Sanchez *de Matrimon. lib. 5. disp. 5. num. 22.* Diana *par. 12. tract. 2. resol. 68. & Tambur. disp. tract. 3. cap. 3. §. 2.* Ex quibus sequitur post obtentam dispensationem opus esse novo consensu ad ineunda sponsalia, si illa erant prius absolute contracta. Rot. *dec. 2. apud Dianam par. 6. in fine.*

18. *Quar.* An licitum si apponere pacta, & conditiones in sponsalibus ineundis? *Resp.* Affirmativè, dummodo honesta sint, & non repugnent libertati matrimonii; & talia censentur, quæ de jure insunt in contractu, & à lege non sunt prohibita. *cap. De illis. De*

K k

Con.

Condit. opposit. l. Si ira stipulatus fuero, ff. de Verb. oblig.

19. *Quar.* Quot sint causæ, quibus sponsalia dissolvantur? *Resp.* Esse octo præcipuas, videlicet. *Primò*, Mutuum consensum sponforum, si sint puberes, secus si sint impuberes. *cap. De illis, & cap. A nobis, de Desp. impub.* *Secundò* Religionis ingressum. *Tertiò*, Sumptionem Ordinis Sacri. *Quartò*, Votum simplex castitatis, quamvis moderni Doctores contrarium dicant. *Tamburin. dist. tract. 3. c. 4. §. 4. num. 5.* *Quintò*, Matrimonium cum alia contractum. *Sextò*, Fornicationem alterius exsponsi. *Septimò*, Impedimentum superveniens tam dirimens, quam non dirimens matrimonium; quia, ut supra dictum est, quodlibet impedimentum matrimonii dirimit sponsalia. Et *Octavò*, notabilem mutationem supervenientem in sponfis, vel circa sanitatem corporis, vel bona animi, aut statum conditionis, & fortunarum. *Latè Tambur. dist. lib. 8. De Matrim. tract. 3. cap. 5. per totum.* Et generaliter iusta causa dissolvendi sponsalia reputatur timor exheredationis paternæ, odium capitale, timor scandalis, inimicitiarum, & homicidiorum. *Rota coram Sanctissimo Gregorio XV. decis. 376. num. 9.* Vel si alter ex sponfis intelligat sponsum suum esse asperum nimis, *Nicolius Lucubrat. civil. lib. 1. tit. 10. num. 27. pag. 46. col. 1.* Et iudicis arbitrio remissum est à iure decernere, an legitimæ sint causæ recedendi à sponsalibus, & tales dicuntur, ubi de malo exitu timetur. *cap. Ex his, 10. De Sponsalib. cap. Quemadmodum 25. ubi Gloss. & DD. in verb. oculos. De Jure jurand. latè Rota part. 14. recent. decis. 185.*

20. *Quar.* Si Antonia contractis sponsalibus cum Petro, nubat Paulo, ac non multò post remaneat vidua, & requiratur à Petro, ut exequatur secum sponsalia, tenebiturne ad ea exequenda? *Resp.* Discordes esse Doctores. *Negat Sanchez de Matrimon. lib. 1. disp. 48. num. 3.* ea ratione, quia sponsalia illa censentur extincta per matrimonium habitum cum Paulo. *Affirmat Castropalaus de Sponsal. decis. 1. punct. 21.* Ob eam rationem, quòd antedicta sponsalia non remanserunt extincta, sed suspensa. Hanc ultimam opinionem amplectitur *Tamburin.* quamvis & aliam dicat probabilem, *d. tract. 3. cap. 4. §. 5. num. 6.*

21. *Quar.* Si quis contractis sponsalibus cum una, contrahat iterum sponsalia cum altera, eamque carnaliter cognoscat, quam tenebitur ducere in uxorem? *Resp.* Secundum *Castropal.* & *Pontium de Matrimon. lib. 12. cap. 14.* tenebitur ducere secundam, quam carnaliter cognovit, si ipsa inscia erat priorum sponsalium; ob nimium damnum, quod pateretur, si duceret primam. At secundum *Sanchez de Matrimon. lib. 8. disp. 49.* tenetur omnino ducere primam, cui se adstrinxit per priora sponsalia, & dotare secundam; nisi fortè ipsa prima ex charitate concederet, matrimonium fieri cum secunda. *Diana part. 11. tractat. 2. resol. 70.*

22. *Quar.* Si *Franciscus* contrahat sponsalia cum *Berta*, deinde etiam cum *Antonia*

(invalidè, & cum peccato:) At subinde moriatur *Berta*, eritne obligatus servare sponsalia & ea adimplere cum *Antonia*? *Resp.* Multi multa dicunt, sed negativa opinio prævalet; videlicet, non teneri, & ratio est, quia hæc secunda sponsalia ab initio fuerunt invalida; & quod ab initio non valet, tractu temporis non convalescit. *cap. Placet. De Convers. Conjug. Tambur. d. tract. 3. cap. 5. §. 5. num. 17. 18. & 19.*

23. *Quar.* Si quis desponsasset suam consanguineam sub conditione, si Papa dispensaverit, & deinde contraxisset sponsalia cum altera non consanguinea: Obtenita dispensatione Pontificia, tenebiturne matrimonium contrahere cum prima consanguinea, vel cum secunda? *Resp.* Teneri contrahere cum secunda; quia, ut supra dictum est, sponsalia cum consanguineis non valent, & opus est novo consensu post obtentam dispensationem. *Tambur. d. cap. 5. §. 5. num. 26. Dian. part. 11. tract. 1. resol. 70.*

24. *Quar.* An copula carnalis illata sponsæ per vim ab aliquo rumpat sponsalia, adeò ut sponsus possit ab eis resilire? *Resp.* Affirmativè, quia licet sponsa non peccaverit, tamen vilis nimis efficitur, & videretur asserere dedecus sponso, si ei nuberet. *Tambur. d. tract. 3. cap. 5. §. 6. num. 2.*

25. *Quar.* An oris graveolentia, vulgò *Puzza del fiato* sit causa sufficiens ad tollenda sponsalia? *Resp.* Affirmativè. *Sanchez d. lib. 1. disp. 57. num. 2.*

26. *Quar.* Si *Petrus* pauper desponsset *Antoniam* pauperem; & deinde ipse *Petrus* obtineat magnam hereditatem, & efficiatur dives, poteritne deferere sponsam pauperem, & ditiores sceminam sibi desponsare? *Resp.* *Gasp. Hurtad. disput. 2. de Matrimon. diff. 14. n. 5.* affirmare; sed contrariam sententiam esse magis receptam à Doctores, quos allegat, & sequitur *Tamburin. dist. tract. 3. cap. 5. §. 8. n. 13. 14. & 15.* ubi ex *Leandro* asserit utramque probabilem. Qui plura desiderat scire de sponsalibus legat meas Decisiones de Matrimonio de Anno 1684. Mensibus Augusti, Septembris, & Octobris.

CAPUT CXLII.

De his, quæ spectant ad Matrimonium tanquam contractum.

1. *Quar.* Quæ sint essentialia matrimonii tanquam contractus? *Resp.* Ut fiat per liberum consensum inter personas habiles ad contrahendum, ad hoc ut possint usque ad mortem simul vivere. Ideò causa efficiens matrimonii est consensus contrahentium, causa formalis est expressio dicti consensus, causa materialis corpora ipsorum contrahentium, & finalis est procreatio proles, & prædictorum omnium respectu definitur Matrimonium, quòd sit *Viri, & femina habilium ad prolem generandam consensus mutuus, quo scilicet iudant invicem, acceptamque jus, & dominium corporum ad finem prædicta proles generanda, quique ad rationem Sacramenti est à Christo Domino elevatus.* Ita